



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae
a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

Romae, 1658

Vincentius Sancti Eustachij Cardinalis Costagutus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

tet, Beatissime Pater, quin coronari in Cœlo debeat, qui strenue certauit in Terris? Re itaque in Sacra Rituum Congregatione, maturè discussa; probatis vitæ sanctimonia, & miraculis: omnium deinde, tam in publico, quam in secreto Consistorio, facta relatione, & peractis de more peragendis; non solum censeo, deueniendum esse ad eius Canonizationem, sed etiam humillimè supplico. S. V., velit, decreto illide relata victoria aduersus Mundum iustissimo triumpho, solari vota Christianæ Reipublicæ, ut tanti Viri edocti exemplo fideles, qui cupiunt exaltari, discant non inter rerum humanarum fastigia, sed inter cœlestia veram gloriam inueniri.

**Vincentius Sancti Eustachij Cardinalis
Costagutus.**

Vix innocentia, perpeti innixa castitati: profunda in Regulari obseruantia humilitas: vigilans in moderamine populorum solicitude: zelus domus Dei, cæteræquè eximiæ virtutes illuxerunt in Beato Thoma Valentia Archiepiscopo. Sed excelluit inter omnes vna Charitas, quæ sola secernit filios Regni à filijs perditionis, & quæ ita ex Deo est, vt ipsa sit Deus. Hæc à puerilibus ientaculis inter egenos distributis, in diem aucta, eò usquæ peruenit, vt Thomas moritus lectulo, quo cubaret, indigeret, summam ideo misericordiam consecutus, quia summè misericors, nec sperans in pecuniæ thesauris, ex ipsis thesauros sibi gloriæ paruit in coelis: verè Beatus, quia bene intellexit super egenum, & pauperem. Tuum nunc est, Beatissime Pater, Beatum Thomam miraculis insignitum, illustri meritorum diadematè coronatum, publicis aris admouere; & dextera tuæ potentia, qua Cœli pandis ostium, iubere, eleuati portas æternales, vt inter Pontificum choros, super montibus Sion, tanquam sydus effulgere, vniuersa videat, atque adoret Ecclesia heroicę exemplar charitatis, & veræ formam virtutis..

Benz.